


Sammlb. 50

Zur
Gräfl. vom Hagen'schen
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN
gehörig.

N^o 1399




20

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
CASUM PARTICULAREM
DE
ASTHIMATE
RHEUMATICO

QUAM
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO
EX
AUCTORITATE ET CONSENSU
INCLYTÆ
FACULTATIS MEDICÆ
IN ACADEMIA REGIA DUISBURGENSI
PRO GRADU DOCTORIS
ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

JOHANN. GEORG. STUNTZ
ROTHENBURGA AD FULDAM HASSUS
AD DIEM SEPTEMB. MDCCLXIV.
H. L. Q. S.

◆  ◆
DUISBURGI AD RHENUM
TYPIS FRANC. ADOLPH. BENTHON, ACAD. TYPOGR.

i

PROFESSOR DR. MEDICINAE
2. DEPARTMENT MEDICINAE

CAROLUS WILHELMUS

DE VITAE ET MORBIS

LIBER PRIMUS

DE VITAE ET MORBIS

DE VITAE ET MORBIS

DE VITAE ET MORBIS



CELSISSIMO, ILLUSTRISSIMO
S. R. I. COMITI AC DOMINO
D O M I N O
JOHANN. CHRISTIAN.
COMITI
DE SOLMS ET TECKLENBURG
DOMINO HÆREDITARIO DOMINATUS
BARUTHENSIS,
DOMINO DE MUNTZENBERG, WILDEN-
FELSÆ, SONNEWALDÆ, RUDEL-
HEMII, LAUBACI ET POUCH
ETC. ETC.
PARVULAM HANC DISSERTATIONEM
MEDICAM
TANQUAM SIGNUM HUMILLIMÆ GRATITU-
DINIS, OB CLEMENTIAM OLIM SINGU-
LAREM AUCTORI COLLATAM
ANIMO DEVOTO

D. D. D.
Celsitudinis vestræ

Servus humillimus
JOH. GEORG. STUNTZ.



DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS
DE
ASTHMATE RHEUMATICO.



§. I.

um animus mihi est de morbo quodam,
pulmones nostros affligente, aliquid in
medium proferre; necesse quidem es-
set de pulmonum structura & reliquis
horum proprietatibus hic aliquid præ-
mittere; ast dum omnes Anatomici & Physiologi tam
ample de nobili hac corporis nostri parte scripserunt,
superfluum videtur, quæ omnibus litteratis nota sunt,
A 3 iis

iis iterum demonstrare. Accedo igitur ad rem mihi propositam, equidem eo citius, quoniam negotia mea domestica amplitudinem scribendi prohibent.

§. II.

Quoniam pulmones tam hominibus quam brutis eum in finem a rerum omnium maximo Creatore tanquam folliculi dati sunt, ut sanguis corporis nostri harum ope refrigeretur, quippe qui in statu hominis sano intra corpus & circa ejus peripheriam contentus semper calidioris naturæ est ac aër externus, quem inspiramus; quapropter etiam sanguis ex corde totoque corpore & omnibus ejus partibus ad ultimas extremitates usque omnis & continuo ad pulmones & per eos celeriter fertur; nam certum est, neque hominem neque animal sanum permanere posse in aëre calidiore quam est sanguis, aut in aëre eundem gradum caloris cum sanguine ipso habente. Mortem quodlibet subiectum rebus sic se habentibus subire tunc propter nimium calorem necesse esset; affricu enim globulorum sanguinis perpetuo circulatio sanguinis quovis momento augmentaretur, ac ipse sanguis, simul ac hoc fieret, putridam induere naturam deberet. Celeberrimi BOERHAAVII cum cane institutum experimentum, qui in camera illa quæ a coëtoribus aut depuratoribus sacchari siccandi gratia in usum vocatur, certum nos facit,

facit, excedentem gradum æstus sanguinem corrumpere, ac omnia animalia vita sua citissime privare. Videatur hac de re Pars I, illius Polyhistoris Chemicæ. Nam si secundum Thermometron accuratissimi artificis *Fahrenheit* aut *Prinz* calorem hominis sani examinamus, iste caloris gradus haud 92. aut 94. gradus excedere debet, si aliter, a Doctoribus practicis annotatum, nihil certius esse, hominem acutissimo quodam laborare morbo, massamque sanguineam corruptam putrefactamque esse. Sed alia adhuc desiderantur, ut pulmones officio suo utiliter fungantur.

§. III.

Aër neutiquam debet esse vetus, id est in eodem loco aut vase clauso sine renovatione diu stagnans & conclusus, sed recens aër requiritur, immo quo recentior eo melior. Calor enim non modo naturalis sanguinis nostri parvam eam aëris quem simul inspiramus partem nimis calefaccret. Quod si enim, uti ab aliis observatum & experimentis stabilitum, est consideramus 17. aut 18. cubicos pollices aëris singulis inspirationibus in pulmones duci, simulque magnam sanguinis molem omni momento ad pulmonem de novo advectum, facile intelligitur, parvam eam aëris portionem, nisi renovaretur, cito caleferi debere. Sed etiam, si aër vetus in uno permanet loco & inclusus est, nec a recenti reno-

va-

vatur, aër iste corrumpi, putrefieri, ad vitam sustinendam ineptus reddi solet, ac propterea summe anxios nos reddit, respiratio difficilis evadit, æstus sanguinis augmentatur, equidem eo major quo major aëris corruptio est, unde etiam in sanguine nostro similis corruptio fit, quæ accedente æstu febrili tum augmentatur. Tegatur e. gr. homo tegumentis lecto inservientibus, ita ut tota facies tecta sit, respirationem certe maxime difficilem & anxiam immo vix tolerabilem & suffocationi proxime accedentem inveniet, ex quo itaque patet aërem inclusum & a circulatione privatum pulmonibus minime convenire.

§. IV.

Ut pulmones incolumitate fruantur præter cætera jam allegata requisita, aër etiam debet esse siccus, eum nempe in finem ut exhalationes corporis accipiendi, ac ut ita loquar absorbendi, & extra corpus deportandi, capax sit dum uti omnibus notum evaporatio sive perspiratio corporis nostri cum vita nostra pari passu ambulat. Ast deficiente illo aëre sicco, perspiratio ista maxime turbatur. Experientia Sanctoriana edocti fumus homines quotidie quinque Libr. fluidorum perspiratione insensibili amittere, quod in aëre italico ita se habere potest, in nostris regionibus procul dubio minor transpirationis quantitas, sed memorabilis ta-

men

men & cujus defectus gravissime lædere potest, produ-
 citur. Observamus enim præprimis hyemali tem-
 pore vapores ex pulmonibus provenientes exhalari
 ac in aërem ferri; tenuisque sudor noster de cer-
 titudine continuæ perspirationis nullum nobis du-
 bium relinquit etiam per cutim fieri, nam si tan-
 gas Metallum quoddam digito aut vitrum aut aliud
 frigidum corpus durum, nonne iste locus quem
 digito attigisti madidus oculis nostris se præbet?
 Quodsi autem aër humidior justo est, nostræ exha-
 lationes ab illo recipi aut absorberi non possunt,
 unde obstructions variæ in cute, gula, pulmoni-
 bus, rheumatismi, asthmata, angina, aliique pecto-
 ris morbi oriuntur.

§. V.

Aliud adhuc boni aëris requisitum est ejus
 puritas, eum nempe in finem, ut illæ corruptæ
 partes, quæ a sanguine nostro per pulmones &
 cutem continua serie exeunt ab illo excipi possint.
 Sanguis noster ex plurima aquæ parte quidem con-
 sistit, at mucilaginosum quoddam fluidum cum o-
 leo mixtum, non minus illi proprium est, & hanc
 ob causam, secundum præsertim PRINGLII An-
 glicani Medici celeberrimi observationes, inter om-
 nia nostra fluida quam maxime corruptioni obno-
 xius est. Aër itaque purus variis morbis resistit,
 dum contra si ille vaporibus putridis jam refertus
 B est,

est, corruptas nostras exhalationes in se recipere non potest. Unde enim tam varii morbi epidemici, dysenteria scilicet, scorbutus, febres biliosæ, contagium pestiferum orientur. Nonne ex impuritate aëris præprimis originem suam trahunt? Impuritas etiam aëris vasis capillaribus se insinuat, respiratione ad pulmones pervenit & sic per circulationem sanguinis ad ejusmodi mala totum corpus disponit. Quam vana itaque opinio quorundam veterum fuerit, qui ægrotos in hypocaustis calidis retinere & tegumentis variis contra impetum, ut aiebant, aëris in lecto circumdare jubebant, ex antedictis patet.

§. VI.

Tribus antea recensitis, boni ac saluberrimi aëris, requisitis, æstus, humiditas, & putridus foetor opposita pulmonibus infesta sunt variisque morbis primam præbent ansam. Quo magis autem illa incommoda inter se coincidunt, eo majus detrimentum nobis afferunt, etiamsi uni subjecto plus quam alteri noceant: facilius enim & gravius invadunt, quando materiem quandam assimilantem in corpore inveniunt, quo major dispositio naturalis, ætas, temperamentum, regio, vitæ genus etc. etc. dictas causas occasionales adjuvant.

§. VII.

§. VII.

Sed ne nimis ampli simus & a scopo nostro recedamus, dum de Asthmate rheumatico dissertationem conscribere constituimus, rem ipsam aggredimur. Asthma a Celeberr. FRID. HOFFMANNO definitur, quod sicla horiosa & impedita admodum respiratio cum ineffabili anxietate & præcordiorum angustia juncta, liberam sanguinis per pulmones circuitum turbans, a variis causis suborta, periculi suffocationis haud experts.

§. VIII.

Variæ causæ, uti allegatus autor loquitur, varia genera asthmatum producant; transitive interim annotamus hunc morbum præprimis autumnio frequentem esse. Opinamur cum aliis rationem hac de re in sequentibus inveniri posse. Mucus bronchiorum antea fluxilis per aëris autumnalis frigiditatem compactus, lentescens, bronchia & vesiculas pulmonales ita opplet, ut non sint satis capaces ad aërem recipiendum, nisi vi majore per actionem animale dilantentur. Unde etiam ratio, cur in asthmate autumnali expectorantia resolutentia magis conducant, quam alia mucilaginosæ.

§. IX.

Prima levis asthmatis species a Doctoribus Dyspnœa vocatur. Subjecta succis plena, corpulenta

atque pingua huic malo valde obnoxii sunt præ-
 primis si corpus valde commoverint. Causa hujus
 morbi præprimis in hoc consistere videtur, quo-
 niam difficilis sanguinis per pulmones progressus
 tunc fit, & nimia vasorum expansio, aëris ingres-
 sum sufficientem præpedit. Sed hæc in junioribus
 haud periculosa & transitoria est. Alitè se ha-
 bet Dyspnœa in senioribus. Hic respiratio ex sola
 virium diminutione difficilior fit, cum ad eam per-
 agendam actio vitæ requiratur; verum etiam pul-
 monis ut aliarum partium fibræ rigidiores factæ &
 minus sequaces motus impeditamenta faciunt. Nul-
 la arte hæc incommoda tolli possunt, & humorum
 viscositas, quæ pulmone magis impleto in alia ætate
 facile tollitur, hac in ætate non solum istam respuit
 curationem, sed quod pejus pectoralia laxantia diffi-
 ciliorem inducunt spiritum.

§. X.

Secunda asthmatis species est Asthma pituitosum
 cum tussi humida ac rejectione materiæ pituitosæ
 viscidæ conjunctum. Ægroti hoc de malo sub quo-
 cunque corporis situ infestantur. Mucus viscidus
 abundans vesiculas pulmonales obsidet, majorique
 & copiosiori secretioni serî admistionique pingue-
 dinis ad hoc serum in pulmonibus suam originem
 debet. Remotiores autem causæ plerumque in di-
 gestio-

gestionis stomachicæ vitio, aut in bile depravata inveniuntur.

§. XI.

Tertia asthmatis species a Medicis orthopnea appellatur, & teste BOERHAAVIO est anhelosa, difficilis, stertens, sola erecta cervice & thorace absolvenda respiratio. Variæ causæ, sêr scilicet vitiosus, venenati vapores, causticique acidi vel austeri, paralysis vel spasmus organorum respiratori famulantium ut & alii morbi, harum partium functiones destruentes illam producere possunt, muscoli etiam pectoris & scapularum vehementer hoc in morbo exagitantur.

§. XII.

Præmissis hisce divisionibus, a SYDENHAMIO aliisque Doctoribus quoad Asthmatis morbum factis, de casu speciali mentionem faciam, ubi æger asthmate quodam rheumatico laboravit, ope autem præprimis aquæ felteranæ, ab hoc difficili admodum incommodo liberatus fuit.

Dominus quidam ætatis 44. circiter annorum pleno corporis habitu a teneris fere unguiculis castra securus, amator venationis, equitationis aliarumque corporis exercitationum, lauto quidem semper sed inordinato vitæ genere usus, ad aliud officium

civile vocatur ; mutatus conditionis status mutationes negotiorum item inducit. Et ut paucis dicam, vitam antea ambulatoriam nunc cum sedentaria commutare coactus est. Varia incommoda nunc, eum vexabant, conquerebatur interdum de coryza, tussi, raucedine, catarrhalibus in pectore affectibus ac respiratione difficili. Hypochondriacus fere evadebat, & infortunia quadam domestica animi sui pathemata magis magisque excitabant. Noctes sine ullo fere somno transibant, appropinquante autem hora circiter quinta aut sexta somnus vigiliam per horæ spatium exceperit. Conquerebatur de molesta hypochondriorum distensione & multo sudore. At post clapsam aliquot tempus, mala augentur, ægerrima respiratio sequitur ita ut ne vix quidem in lecto se continere possit. Ambulat, immo discurret in hypocausto, januas ac fenestras aperit, ut liberiorē aërem capere possit. Finito aut mitius facto paroxismo autem bono cum appetitu comedit, sed crescente tempore crescunt etiam incommoda allegata, vires languescunt, corpus emaciatur & spirandi facultas tam molesta fit, ut ad minimum corporis motum, dum scalam ascendit aut alvum cum nisu deponere velit, aut paullulum modo in conclavi ambulat, suffocatoria fere compressio pectoris, eum aggrediatur. Nocte quadam ager ab hoc præfocante pectoris affectu & fere in tantam spirandi

di angustiam inducebatur, ut ob totius corporis tremorem, faciem rubicundam, extremorum refrigerationem, lapsumque virium morti appropinquare videretur & vehementissime cruciaretur. Servus illi adstans hac in critica rerum situatione vitrum quoddam aqua frigida plenum offerebat, de qua agrotus haustus quosdam potans recreabatur. Liberior expectoratio sequebatur, minus impediti spiritus erant humidaque corporis evaporatio sequebatur. Notandum est agrum nullo morbo chronico unquam laborasse nec hæmorrhoidibus aut aliis hujusmodi malis obnoxium fuisse; ast ejus pater fluentibus hæmorrhoidibus olim laboravit, his autem cessantibus asthmate hydropico correptus fuit, a quo morbo obiit. Nobilis noster agrotus ad malum istud asthmaticum propellendum variis sane remediis usus est. Pectoralia, antasthmatica, immo antihypochondriaca remedia venæsectiones in usum vocata item purgantia ast; omnia frustra. Tandem ego advocatus agroto frequentem usum aquarum felteranarum cum regimine commendavi, quod consilium non sine multo levamine secutus est, suasi illi porro, ut a cœna vel prorsus abstineret, nec ulla cerevisia sed vino cum tribus partibus istius aquæ mixto uteretur. Exercitia corporis ambulando equitando, vehendo strenue commendavi, ac ut leve prandium plerumque ex jusculis & leguminibus facile

cile concoquendis semper sumat suasi, carnem haud quidem interdixi, ast parum tantummodo de hac fumere illi concessi. Pro medicamentis quotidianis usus est Elixir. Bals. Hoffmanni ita præparato. ℞ Cort. Aur. recent. Unc. j. Extr. Gent. rubr. Cent min. Card. Bened. Cascar. aquos. Salis Tartari à Dr. ij. digerantur omnia cum vini Malvatici Libr. j. & paucis guttis olei de Cedro. Colentur denturque semper ante & post prandium 60. guttæ cum vino. Pro scopo derivativo- & laxante autem usus est sequenti remedio. ℞ Rhei electi Unc. ijss Sal. Absynth. Dr. j. Cort. aurant. recentium Unc. Sem. Nuc. Moschat. Rasp. Scr. ij. Coccionellæ Dr. Sem. infundantur species cum duabus libris vini Hispanici, colentur & sumantur de hoc Elixirio tria aut quatuor cochlearia bis per septimanam vacuo ventriculo. Pediluvia quoque ordinavi immo interdum illi clysmâ domesticum applicari curavi, quibus per 2. mensium spatium usus tandem patiens restitutus fuit.

§. XIII.

Vidimus ex substrato casu dictum illud HIPPOCRATIS confirmatum, dum ait, multi morbi fiunt quando cibus superat laborem. Patiens noster vita ambulatoria peregrinationibus, & lautissima mensa
antea

antea semper utebatur, inopinato autem hoc vitæ genus cum sedentaria commutare cogebatur, ast nihilo minus potus ac cibi ut antea in eadem utebatur quantitate. Quid inde aliter quam ut ratione nimia feri & mucii impurioris copia in corpore generaretur sequi poterat? Et quoniam in tali vitæ genere vis digestiva nimium patitur ac languet, necesse est, ut cruditates in primis viis accumulentur, unde flatulentia quæ affectus catharrhales & asthmaticos augent. Ratio itaque in promptu est, cur ægroto parciori & melius digerendo cibo exercitioque corporis frequenti uti suasi. Nihil certe melius est teste experientia, quam vespertino tempore aut nullo aut levissimo victu etiam in statu sano frui. Præprimis carnosæ vesperi comestæ difficilioris digestionis ac concoctionis sunt præ leguminibus: nam anxietates, orgasmum sanguinis producant, quapropter etiam robustus vesperti hujusmodi cibi, usus, aut plane non, præsertim, si cœna sero sumpta est, dormire aut inquiete jactando se in lecto maximam noctis partem insomniis consumere solet; patet itaque cur ægroto nostro a cœna desistere suaserim. Laxantia eum in finem præscripsi, ut lentos humores ac viscidos ex intestinorum canali repurgarem, quoniam autem unius & ejusdem remedii quotidiana assumptio tandem in consuetudinem abit, ut nullius fere efficaciam sit

C

laxans,

laxans, etiam vinum medicatum, ex herbis Card. Bened. Comis Absynthii, Cost. hort. cort. Citr. Agarico, fol. fennæ, rheoque componi & pro hoc scopo dari curavi. Et quoniam clysmatum usus ad derivandum materiam peccantem maximi sunt usus, dum sine ulla defatigatione corporis institui possunt tepidaque pediluvia haud minoris effectus revulsorii sunt, ratio patet, cur ægroto horum usum commendaverim. Aquæ simplicis usus, uti in omnibus anxietatibus, in syncope aliisque ex defectu spirituum provenientibus morbis mitigationem procreat, sic etiam hoc in casu ægroto nostro auxilium attulisse necesse fuit. Fluiditas hujus medicamenti naturalis minima corporum nostrorum vasa penetrat, solvit mucosum statum feri nostri, ita ut eo melius depravata materia ex vasis transpiratorii exire possit; Quid autem melius in anxietatibus quam restauratio læsæ perspirationis. Dum itaque aqua simplex magni ejusmodi usus sit, duras, tensas, strictasque partium solidarum fibras emollit, acres saliosque humores diluit ac temperat, neque minus ad lentos humores incidendos, obstructosque vasorum porulos recludendos prodest, ita ut hac via omnes ac singulæ corporis excretiones imminutæ, pristinæ integritati restituantur. Quid non de aqua fontis mineralis selterani expectandum est? Nimis me effunderem si de virtuti-

tutibus fontis hujus latius differere vellem, provo-
co itaque ad FRID. HOFFMANN. in operibus
suis Tom. V. p. 234. ubi de Elementis & viribus
fontis dicti agit, cui brevibus adhuc appono, me
in praxi mea nullum fere lenius ac suavius me-
dicamentum diureticum præ hocce noscere, quod
& maxima in hypochondriaco & hysterico affe-
ctu semper præstitisse asserere possum.

T H E S E S.

I.

Corpus animale adultum interdum cente-
narum aliquot librarum vix minimum
granulum fabuli pondere æquavit in sper-
mate.

II.

Sunt ergo corporis animalis minima eaque
stupenda initia.

III.

Liquor Amnii pro nutritione fœtus in ute-
ro est ineptissimus humor contra Hei-
sterum aliosque.

IV.

Non dantur glandulæ miliares.

C 2

V.

V.

Ergo & valvulae elevatiles ductuum harum
glandularum sunt imaginariae.

VI.

Dieta Mosaica est omnium pessima.

VII.

Evangelica vero est omnium optima dieta.

VIII.

Gallorum enemata ex vino & herbis aro-
maticis concinnata in passione Iliaca inter-
dum sunt exquisitissima remedia.

IX.

Fundamentum curationis hydropicorum
non consistit in evacuatione aquarum.

X.

In quibusdam oculorum morbis Nihil est
optima medicina.





Esse & robore elevatis dicitur hanc
glaciolam esse imaginaria.

VI.

Quia Morax est omni anni robora.

VII.

Evangelica vero est omnium optima dicitur.

VIII.

Gallica morax ex vino & lacte
mellea concinnata in gallica dicitur
dum sint exquisitissima rebus.

IX.

Indicantur quibusdam morax
in quibusdam oculorum morax dicitur
optima medicina.

In quibusdam oculorum morax dicitur
optima medicina.




153510


(X2371017)

12









B.I.G.

Farbkarte #13

20

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
CASUM PARTICULAREM
DE
ASTHIMATE
RHEUMATICO

QUAM
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO
EX
AUCTORITATE ET CONSENSU
INCLYTÆ
FACULTATIS MEDICÆ
IN ACADEMIA REGIA DUISBURGENSI
PRO GRADU DOCTORIS
ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

JOHANN. GEORG. STUNTZ
ROTHENBURGA AD FULDAM HASSUS
AD DIEM SEPTEMB. MDCCLXIV.
H. L. Q. S.

DUISBURGI AD RHENUM
TYPIS FRANC. ADOLPH. BENTHON, ACAD. TYPOGR.

